

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DUBIUM

DE FACULTATE DISPENSANDI PRESBYTEROS AB IRREGULARITATE VEL A TITULO SACRAE ORDINATIONIS.

Proposito dubio, utrum facultas concedendi clericis, iam in sacro presbyteratus ordine constitutis, dispensationem ab irregularitate, vel a titulo sacrae ordinationis, spectet ad Congregationem de Sacramentis, an potius ad Congregationem Concilii ; sacra Congregatio Consistorialis, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: Spectare ad S. Congregationem Concilii.

Datum Romae, ex aedibus Secretariae eiusdem sacrae Congregationis Consistorialis, die 27 Februarii 1909.

L. © S .

Scipio Tecchi, *Adsector*.

S. CONGREGATIO RITUUM

i.

COMPOSTELLANA

CIRCA USUM QUORUNDAM INSTRUMENTORUM IN MUSICA SACRA.

Hodiernus Rmus Praeses Commissionis dioecesanae de musica sacra, ab Emo et Rmo D. Cardinali Iosepho M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopo Compostellano, constitutae, a sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. An in musica sacra organica admitti possint instrumenta, *oboes*, *clarinettes*, *trombones* nuncupata?

II. An instrumenta, vulgo *timbales* seu *tympanos*, sint habenda uti fragorosa et strepitantia ?

III. An eadem permitti possint in musica et orchestra religiosa?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita specialis Commissionis de musica et cantu sacro sententia, ita respondendum censuit:

Acta Apostolicae Sedis. - Commentarium Officiale:

Ad I. Possunt tolerari instrumenta musica, *oboes* et *clarinettes*; dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur.

Ad II. Provisum est in art. 19 Instructionis pontificiae *de musica sacra*, 22 Novembris 1908; et omnino servetur art. 16 eiusdem Instructionis.

Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit, die 13 Novembris 1908.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

IL
CONCORDIEN.

DE ALTARIBUS FIXIS CUM MENSA EX PLURIBUS LAPIDIBUS COMPOSITA, VEL
CUM MEDIO LAPIDE RELIQUIARUM, VEL CUM BASI EX MURO.

Rmus Dnus Franciscus Isola, Episcopus Concordien., in visitatione pastorali reperit quaedam altaria consecrata uti fixa, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat; aliqua vero similia cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio exstat lapis quadratus in quo reconditae sunt sacrae reliquiae, vulgo *pietra sacra*; alia demum consecrata uti fixa, quorum mensa in medio nititur super basi ex muro vel ex coctis lateribus, quae in centro continet sacras reliquias. Quare idem Rmus Episcopus a sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit, an continuari possit usus celebrandi super dictis altaribus?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit:

L Quoad altaria priora, pro gratia sanationis, dummodo sepulcrum sit integrum ex lapide.

IL Quoad altaria secundo loco descripta, orator acquiescat.

III. Quoad postrema, infra tempus iudicio ipsius Episcopi determinandum, eadem ad normam iuris reducantur, vel per parvum lapidem consecratum, vel (si nullum in ecclesia consecrata sit altare fixum) per totius mensae cum stipitibus consecrationem.

Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit, die 13 Novembris 1908.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*.

L. 48 S.

: • ;

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.